

historicum, virtutem poëmatis epici tamen bene expressisse memorat, ita ut decennalis temporis historiam exhibeat secundum poëtarum morem, qui est a media, vel ultima parte incipere, & in progressu demum initium rei gestæ narrare.

§. X.

Quod Homerus inter Græcos, id Virgilius in- Quod Ho-
merus inter
Græcos, id
Virgilius
inter Lat-
nos fuit,
primæ ni-
mirum au-
toritatis
& aestima-
tionis.
ter Latinos fuit, primæ nimirum auctoritatis & aestimationis. Quintilianus *Instit. Orator. Lib. X.* ita censet : *Ut apud Græcos Homerus, sic apud nos Virgilius auspicatissimum dederit exordium, omnium ejus generis poëtarum, græcorum nostrorumque haud dubie proximus.* Utar enim verbis iisdem, quæ ex Afro Domitio juvenis accepi, qui mihi interroganti, quem Homero crederet maxime accedere : *secundus,* inquit, *est Virgilius, proprior tamen primo quam tertio.* Et hercle, ut illi naturæ divinæ atque cœlesti cesserimus, ita curæ & diligentiae vel ideo in hoc plus est, quod fuit ei magis elaborandum. Extant variorum lucubrationes, in quibus horum duorum antesignanorum comparatio instituitur. Prætermisso Jacobo Tollio, qui in *Fortuitis Cap. XIII.* Virgilium & Homerum inter se commisit, inclytum Renatum Rapinum S. J. in Gallia Presbyterum hic commemorabimus, qui inter alia erudita opuscula *Observationes quoque in poëmata Homeri & Virgilii sermonе vernaculo edidit*, a celeb. Jano Broukhusio in latinum translatas, cuius egregii scripti argumentum nihil aliud quam laudatissimorum duorum poëtarum comparisonem complectitur. Hanc, Renati Ra-
pini com-
paratio Vir-
gilii cum
Homero.

P

inquit,